

13 luglio a 1781

Cur.Cap.Maj. (738) N.10.  
In causa Regii Patronatus in Abbatiam S. Leonardi de Amendola-  
ra, vulga *delle Mattine.*

Dominicus Ciaraldus causarum Patronus supplici libello suo Regem oravit, ut sibi demandaretur patrocinium Regii Patronatus in Abbatiam S. Leonardi de Amendolara in Apulia constitutam quæ *de Matinis* vulgo dicitur. Rex optimus precibus ejus indulgens prædictæ Abbatiae patrocinium ipsi detulit codicillis suis, eo tamen addito, ut id fieret cum intelligentia Regiae Coronæ Advocati. Ita prædicti Patronatus causa judicium institutum fuit, ut in ejus possessionem Regia Corona redingeretur. Citationibus igitur per edictum controversia nupciata omnibus, quorum fortasse interesset, ac termino probationibus præstituto, ad causam adprobandam plura in judicio producta sunt monumenta.

Ex producatis autem monumentis liquet, saeculo XII. in Neapolitano Regno, non sine Regum Neapolitanorum studio, domicilium sibi constituisse Equites Ordinis Theutonici Hierosolymis primum exortos; ab eorumdem vero Regum munificentia retulisse, ut sedes suas constituissent in Divi Leonardi Templo, ac Monasterio eidem adnexo: tractu etiam temporis memorato Monasterio diversas Grancies unitas esse alibi in Regno positas. Ita Domus isthac cum Graciis ipsi herentibus evasit dependentia quædam vetustioria Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymis ab initio constituti, atque inibi prædicti Ordinis erectora Perceptoria, quam vocant. Ob favorem vero, quo Theutonicos per id temporis prosequabantur Neapolitani Principes, præter singularia privilegia, ipsis concessa sunt Feuda, ac speciosa prædia, unde ingentes redditus percipiebantur, præsertim ob munificentiam Imperatoris Friderici II., apud quem Hermannus Magnus Ordinis Magister in maxima estimatione fuit. Atque ea quidem fuit origo bonorum omnium, quæ a Monasterio Divi Leonardi sunt acquisita, quod conversum fuit in Abbatiae formam.

Res hactenus quidem expositas ita fuisse transactas, Regum Neapolitanorum Diplomata complura ostendunt. Eo primo pertinet Diploma Friderici II. Nurimbergæ scriptum anno 1216. mense Decembri. In eo Imperator intuitu eximiæ religionis & honestatis Hermanni, quem Magnum Ordinis Theutonici Magistrum

fuisse

fuisse vidimus , prædictæ Domui hospitali concessit de demanio nostro in tenimento Asculi locum , qui dicitur Biscilletum , cum terris aratoriis pro quadraginta octo aratris , cum omnibus iuribus , libertatibus , fructibus , & pertinentiis suis , liberis , exemptis , & francis ab omni onere servitu:js .

Eodem collineat quoque aliud ejusdem Imperatoris Diploma Catinae scriptum anno 1221. mense Decembri . In eo pientissimus Princeps perpendens , quod Sacra Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum a Divo qu. Augusto Imperatore Friderico avo nostro pietatis intuitu propagata , & a Domino qu. Imperatore Henrico inclytæ recordationis patre nostro rebus , ac libertatibus præmunita , incrementum suscepit spiritualiter , ac temporaliter ; perpendens etiam celebrem vitam , & honestæ religionis cultum , quibus dilectus in Domino Frater Hermannus Magister Domus Hospitalis ejusdem , & frater suus clarere noscuntur , in suam tutelam , ac mundiburgium speciatim recepit eamdem Sacram Domum , & ab ipsa quaslibet derivatas , fratres , confratres ipsorum , cum omnibus bonis suis stabilibus , & mobilibus , que per totum Regnum nostrum rationabiliter possident . Ibidem addidit eidem se confirmare omnia privilegia , & scripta quel:bet tam a Parentibus nostris , quam a Nobis sibi pia liberalitate concessa ; necnon etiam Castra , Casalia , homines , & possessiones , que donations Regum , concessione Principum , & oblatione fidelium , sive quolibet alio justo titulo est adepta . Res autem in eam collatas immunes esse jussit a publicis quibuscumque functionibus , angariis , servitibus , eidem Domui facultate concessa aquandi , pabulandi , lignandi per omnia Demanii sui prædia .

Res hactenus quidem expositæ apertius confirmantur alio ejusdem Friderici Diplomate Melphi scripto mense Septembri anno 1231. In eo fundationem prædictæ Domus dilerte tribuit suotum Augustorum Parentum liberalitati , quæ ei causa erat , ut ad eam magis locupletandam propensus esset . En ipsa Imperatoris verba -- Si Ecclesiæ , inquit , & Religiosa loca Divinæ Majestatis intuitu , per quam feliciter imperamus , pia tenemur devotione favere : illas tamen ampliare volumus beneficio liberali , quas Progenitores nostri Divi Augusti recordationis inclitæ fundaverunt , præcipua in eis beneficiorum , & gratiaræ privilegia conferentes . Hac itaque consideratione inducti , & attendentes fidem puram , & devotionem laudabilem fratris Hermanni Venerabilis Magistri Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum , & Conventum ipsius fideliūm nostro-

nostrorum, quibus semper nostræ celsitudini placuerunt . . . de innatæ liberalitatis nostræ gratia, qua benemeritis, & fidelibus nostris confuevimus providere, donamus eis, atque concedimus prædictæ Domui Hospitalis in perpetuum in demanio nostro, in tenimento Asculi, in loco, qui dicitur Aqua lata prope Cornitum, terras laboratorias pro quadraginta quinque altratis, cum omnibus iuribus, & pertinentiis earum, liberas, & francas, & ab omni onere servitutis exemptas.

Suam etiam liberalitatem exercuit cum prædicta Theutonicorum Domo Rex Robertus Diplomate suo die 23. Maji anni 1313. In eo enim ad petitionem Religiosorum virarum Fratrum Beatorum Domus Hospitalis S. Mariae Theutonicorum in Barulo, ejus Ordinis Religiosis conservata fuit possessio, ac perceptio pascuorum in prædiis ad eum usum comparatis, ab eis vero posseditis in pertinentiis Terrarum Baruli, & Troja in Justitiariatu Terræ Hidrunti, & in aliis Regni partibus, itaque molestia liberati fuerunt, quæ eis inferebatur.

Quæ huc usque recensuimus, de Regia controversæ. Domus fundatione dubitari non sinunt. Quod tamen potissimum ostendit bonorum immensitatem, quæ ab ejus ævi Principibus, præsertim Henrico VI., ejusque filio Friderico, Domui Theutonici Ordinis concessa fuerunt. est Ludovici Regie Diploma Fogio scriptum anno 1360. mense Februario. In eo scilicet recensentur prædia, complurima, feudalis qualitatis omnia, ei concessa. Rerum igitur, donatarum ipsa qualitas probat, eas Sacrae Domus dotandæ causa, a Regibus Neapolitanis suis profectas, atque a Regio. Demanio fuisse divulgas. De rebus vero donatis ne qua porro Religiosis controversia fieret, earum novam concessionem prædicto Diplomate Ludovicus fecit, illud edicens, ut ab omni feudali servitio, atque aliis oneribus immunes per eos retinerentur. Rem omnino conficiunt ipsa Diplomatici verba. Sic enim ibi: *Pro parte Venerabilis, & Religiosorum virorum Magistri Receptoris, & Fratrum Sacrae Domus Hospitalis S. Mariae Theutonicorum Hierosolymitanæ in Barulo, tam nomine, & pro parte ipsius Domus, quam aliorum membrorum, & Granciarum ejus: in Regno prædicto habentium, devotorum Oratorum nostrorum, sunt noviter Majestati nostræ lamentabili insinuatione monstratum, quod ipsi, dictaque Domus, & ejus membra habent, & possident bona Feudalia, cum iuribus, fructibus, & pertinentiis: sine onere, & absque feudali servitio: quæ nobis constare fecerunt, & sunt sub-*  
sequen-

sequentia, videlicet: Feudum, Terraticum, vel Mezana sub vocabulo S. Leonardi, situm, & positum circum circa Domum Hospitallis: Feudum vel Mezana dictum de lo Candelaro, cum Feudo dicto de lo Macerone: Versuræ quadraginta octo feudales sitæ, & positiæ in Feudo de S. Quirito: Feudum de Campo nominatum de Santa Teccbia: Feudum dictum de Belvedere: Feudum nominatum della Mandrolla, vel Santo Ricciardo, situm, & positum in Territorio S. Severi: Flumen feudale dictum Api: Feudum dictum de la Gauata in Territorio Fogia: Maxaria feudalis dicta de l' Amendola: Feudum S. Pauli dictum de Ficoreta in Territorio Trojæ: Taberna feudalis sita & posita in dicta Civitate Trojæ: Formæ sive Padulia feudalia pro veneratione in Territorio Manfredoniane cum tribus versuris similiter feudalibus. Alia Feuda sita & posita in Territorio Asculi, videlicet, Monte Corbo, Monte d'Alessandro. Valle lugara, Puteum, Zingarium, Turris Macinentis, & Demania S. Spiritus: Terratica, vel Mezana feudalia, dicta de Fiumemorto: Feudum dictum Torre de Cani: Turris Alemanna, cum Maxaria, casaleno, pasteria, tabernæ, & borto, similiter feudalia: duæ apothecæ sitæ, & positiæ in Civitate Melphii cum sylva nuncupata S. Margarita, similiter feudalia: & Castagnetum feudale situm & positum in territorio Pescipagani. Ex eodem Diplomate constat prædictos Religiosos addidisse, memorata Feuda ipsis pleno jure, ac sine onere aliquo fuisse concessa; verum contra concessionis legem per Regios Quæstores ab ipsis exigi publicarum functionum præstationes: ab ipsis petitum igitur, ut ab huiusmodi molestia eximerentur. Ea vero de re ita Diplomate suo Ludovicus edixit: Quapropter nos, ut justitiae faveamus; confirmantes ipsi Magistro Perceptoris, & Fratribus, ac Domui, & Hospitali, & aliis Membris, & Granciis ejus, omnia Privilegia, gratias, & concessiones bonorum prædictorum feudalium: quatenus opus de novo concedimus omnia prædicta bona sub natura feudali, absque tamen onere, seu feudali servitio, vel aliqua præstatione, prout domus ipsa & ejus membra, ut prædictitur, possident.

Præterea ex Privilegio Alphonsi I: Aragonii Fogia evulgato anno 1442. 10. Decembris liquet prædictum Principem singulari devotionis sua erga Venerabile Monasterium, & Ecclesiam S. Leonardi dell' Amendolara, alias ditti delle Mattine. Religionis S. Dominus Hospitalis S. Mariae Teutonicorum, obi preces etiam Magni Perceptoris prædictæ Ecclesiæ, ei concessisse, ut quorannis ex Salinis Manfredoniane salis plaustra decem acciperet in substantionem

*tuum ditti Perceptoris, & Fratrum ibidem existentium; ut  
quotannis etiam ex ejusdem Civitatis portu exportandi ei jus  
esset decem frumenti plastra franca, libera, & exempta ab omni  
solutione juris tractæ, exiture, & alterius cujuscumque juris no-  
stræ Curiæ pertinentis.*

Constat denique ex Privilegio Atellæ scripto 9. Maji anno 1502.  
per Consalvum Ferdinandum Cordubensem, Ferdinandi Catholi-  
ci in Regno vices agentem, eum ad preces Cardinalis Borgia  
per id temporis Abbatis Commendatarii Venerabilis Ecclesiæ seu  
*Perceptorie S. Leonardi dell'Arranlolara, seu delle Mattine, Or-  
dinis Beatæ Mariæ Théutonicorum in Hierusalem*, nomine præ-  
dicti Ferdinandi Regis confirmasse Principum concessiones omnes  
prædictæ Ecclesiæ factas. Per eam occasionem igitur, non so-  
lum confirmata fuerunt Diplomata, quorum tenor occurrit in  
Consalvi Privilegio, sed & complura alia, quæ in eo enuncia-  
tur, quæque sortasse in Tabulariis delitescunt. Ea scilicet con-  
cessa fuerunt prædictæ Sacrae Domui ab Imperatore Friderico  
II. mense Junio 1219., a Rege Carolo II. Andegavensi 6. Au-  
gusti 1303., a Regina Joanna 30. Augusti 1343., a Ludovico  
& Joanna 15. Aprilis 1363., a Rege Jacobo, & Regina Joan-  
na II. 11. Maji 1416., a Rege Ladislao 27. Januarii 1397.,  
& a Rege Ferdinando I. Aragonio 20. Januarii 1470.

Neque vero superiöra tantum Diplomata evitunt, controversam  
Divi Leonardi Dornum a Neapolitanis Regibus bonis Principi-  
tus fundatam, & dotatam esse: id ipsum quoque confirmat una-  
nimis Historicorum consensus tunc Neapolitanorum, cum exter-  
num. Tradunt enim Leander Albertus, Scipio Mazzella, Jaco-  
bus Lensantius, Bernardus Justinianus, Orlandius, Jacconius, alii-  
qui non pauci per Dominicum Giaraldi præsentis causæ patro-  
num prædicti, partem redditum longe maximam in ipseidam  
Dominum a Friderico II. collatam esse. In vetustis autem rebus  
definiendis quantam oporteat consentientium Historicorum au-  
toritatem esse, nemo satis ignorat.

Præterea constat quoque, per Fratres Ordinis Theutonici Regno  
relicto, Ecclesiam, & Monasterium Divi Leonardi, ex more Ro-  
manæ Curiæ sequiori ævo introducto, ac veteris Christiani  
igneto, a Pontifice per commendationem fuisse collata. Ita Feu-  
da, & alia bona avulsa à Demanio Neapolitanorum Principum,  
eorumque pietate concessa Fratribus Theutonicis, ob operam  
ab ipsis impendi solitam non tantum pro Religione, sed pro  
ipsis.

---

ipsis quoque Principibus, per summam injuriam sunt addicta Abbatibus Commendatariis ditandis. Id autem quam alienum fuerit a mente Concedentium, æqui rerum æstimatores facile per se decernent.

His prænarratis, Curia pro explorato habuit, Ecclesiam, ac Monasterium Divi Leonardi Ordinis Theutonici per Neapolitanos Principes fundata ac dotata fuisse. Quamvis enim in tanta sæculorum intercapidine, prima foundationis ac dotationis instrumenta desiderentur, ipsam tamen foundationem ac dotationem, si omnia desint, sola Friderici II. Diplomata satis ostendunt. In iis enim aperte declaratur, Augustos Parentes suos ejus Domus fuisse fundatores, eidemque non privilegia tantum, sed & dotis constituendæ causa non modica contulisse bona. Ex iis liquet etiam, ipsum Fridericum II. cum prædicta Domo suam quoque munificentiam mirum in modum exercuisse; singularis vero liberalitatis suæ eam rationem reddidisse, quod Domus isthæc sua & incunabula, & incrementa a Parentibus suis agnosceret. Ea autem de re traditiones historicæ, antiquis factis probandis aptissimæ, dubitari non sinunt. Sed & ipsa natura bonorum, quæ prædictæ Domui sunt concessa, Regiam dotationem satis evincit. Ea scilicet pleraque omnia Feudalia sunt, & ad Regium natura sua Demanium pertinentia: a solis Regibus igitur a Regio Sollo delibata concedi potuerunt. Eo accedit, quod bona isthæc a feudali servitio, ac reliquis publicis functionibus in concessione fuerunt exempta. Ejusmodi vero privilegium a summa tantum in Republica potestate concedi & debet, & sollet. Ipsi Fratres Theutonici anno 1360. libello suo ad Ludovicum Regem concessionem bonorum ita sibi factam enarrant. Ab eodem Principe non nudam confirmationem, sed & novam concessionem petunt, & impetrant. Eam autem impetratam in iudicio produxerunt, ut a jugatione, ac reliquis publicis oneribus immunes declararentur.

Cum igitur ob foundationem, ac dotationem ipsum Jus Pontificium patronatum concedat cap. 25. de Jure patron., id Regi Neapolitano denegari non debet in Ecclesiam, ac Monasterium Divi Leonardi, cum de fundatione, ac dotatione a Decessoribus suis facta liquido constet. Quapropter in prædictum patronatum Regia Corona redintegrari debet cum omnibus pertinentiis ipsi hærenibus, ac cum jure præsertim eligendi Abbatis quotiescumque res tulerit, quoisque Principi placuerit, ut a Regio Demanio deli-

delibata bona , ac in sustentationem Theutonicorum Fratrum ad-  
di&a, Abbatibus Commendatariis ditandis inserviant ; salvo jure  
Regis aliter statuendi de bonis ob extinctionem corporis , cui  
ab initio ea concessa vidimus . Hinc Curia ita pronunciavit :

*Die 13. Julii 1781.*

Curia Cappellani Majoris declarat , Ecclesiam , ac Monasterium Di-  
vi Leonardi de Amendolara , seu de Mattinis , cum Feudis omni-  
bus , bonis , juribus , redditibus , exemptionibus , Ecclesiis , Gran-  
ciis , & pertinentiis omnibus , & quo jure , quaque conditione  
sunt optima , fuisse , & esse de Regio Patronatu ; proinde in eum  
Regiam Coronam redintegrari oportere , sicut præsenti sententia  
redintegratur , ac restituitur , cum facultate eligendi Abbatis ,  
quoties Abbatiam vacare contigerit , & cum reliquis juribus e  
Patronatu pendentibus : salva facultate Principis secus statuendi  
de Abbatiae bonis ob extinctionem corporis , cui liberalitate  
Neapolitanorum Principum concessa fuerunt . Ne quando autem  
injuria temporum jus Principis calumniam patiatur , prædicta  
Ecclesia , ac Monasterium referatur in libros Curiæ inter alias  
Ecclesiæ , & Abbatias , in <sup>as</sup> jus Patronatus Principi com-  
petit .